



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

De Sacramento Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

fortatus est, Cardinalis Legatus hunc alium Judæum denunciatum carceri mancipare fecit, & decem millibus Scurorum multavit, quibus Campanile Ecclesiæ Cathedralis restauratum fuit. Ergo prædicta Mulier Hebræa habuit absolutam voluntatem baptismi; cuius causa cum fuerit Stylo ferreo interempta, dicitur Martyr; & baptismo Sanguinis baptizata. Emin. Cardin. de Lauræa de Baptismo disp. 13. num. 49. & per consequens tam Matri, quam foris debetur Ecclesiastica Sepultura. Idem Eminen. Cardin. de Lauræa in tract. de Martyrio disp. 20. n. 311. Sylvester, Volpi, Narbona, & alii supra citati.

Secundum motivum contrarium pariter non subsistit: quod scilicet hæc mulier non fuerit explicitè confessa fidem Christianam, & non petierit baptismum. Nam respondetur, Confessionem fidei Christianæ, & petitionem baptismi tripliciter fieri posse, voce, scripto, & facto. Eminent. Card. de

Lauræa de fide in 3. Sent. p. 2. disp. 11. n. 4. & seqq. ubi n. 11. subdit inter alia facta, quibus confitemur fidem Catholicam, & baptismum petimus, præcipuum esse mortem subire, prout plerique Sancti Martyres fecerunt, juxta illud, quod Apostolus scribit ad Hebr. cap. 11. Sancti per fidem operati sunt justitiam &c. Lapidati sunt, scissi sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Cum igitur hæc Hebræa mulier subierit mortem sibi illatam in odium fidei à per fido Judæo, eò quia aufugerit ex ejus stabulo cupida fidei Christianæ, censetur sufficienter confessa ipsam fidem, tolerando mortem, & sanguinem fundendo, in quo fuit baptizata in terris, & in cælis, sorte felicissima una cum suo infante coronata. De odio, & perfidia Judæorum in Christianos legantur exempla apud Joan. Baptist. Mathæol. in Sylva Histor. part. 1. lib. 2. cap. 1. tit. 7. ultra supradictum cap. 12. part. 3. Julii Mauroceni in ejus libro: Via della Fede monstrata à gl' Hebrei.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

DECISIO LIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur diversa nomina, quibus nuncupatur Sacramentum Confirmationis. Traditur ejus existentia, institutio, & definitio. Notantur variae manuum impositiones, ac Unctiones Sacrae in Ecclesia.

SUMMARIUM.

- 1 Confirmationis Sacramenti nomina plura. Et quæ?
- 2 Manuum impositio multiplex in Scriptura Sacra. Et quæ?
- 3 Hæretici qui negarunt Sacramentum Confirmationis.
- 4 Existentia Sacramenti Confirmationis.
- 5 Ejus institutio quando facta?
- 6 Christum cur consecraretur in feria Quinta Cena Domini?
- 7 Definitio Sacramenti Confirmationis duplex.
- 8 Unctiones Sacrae in Ecclesia decem. Et quæ?

Nunc accedamus ad explicationem Sacramenti Confirmationis, quod olim dabatur statim post Baptismum, & nunc dari non potest nisi iis, qui sunt baptizati. Itaque in primis, & ante omnia videamus, Quid sit Sacramentum Confirmationis? Pro intelligentia studiosi à Clero præmiserunt: Confirmationis Sacramentum pluribus nominibus nuncupari per SS. Patres; nam à S. Clemente vocatur Confessionis Confirmatio. A S. Cornelio Papa Sigillum Domini. A S. Cypriano Signaculum Domini. A S. Dionisio Areopagita. *σφραγίς* id est, Persepio. A D. Ambrosio Signaculum Spirituale. A Græcis *μυστήριον*, id est Unctio, quam dictionem Arabes corrupte *Mairum*; Melitenses verò Magis ad græcam dictionem accedentes *Miru* appellant; propriè autem dicitur *Χρίσμα* à nomine Christi, id est Unctus, quia Sacerdotes, & Reges ungebantur, ipse autem fortitus est utramque Unctionem in primo instan-

ti suæ Sacratissimæ Incarnationis, id est Summum Sacerdotium, & Imperium absque fine; & nunc fideles omnes unctione Chrismatis consecrantur, quia membra sunt æterni Sacerdotis, & Regis. cap. Cum venisset. §. Quia verò. De Sac. Unct. Sed observat Magrus in Hierolex. Verb. Chrisma quod à S. Augustino vocatur Manus impositio, juxta illud Apostolorum: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Act. 8. 17. Porro manus impositio fiebat in Scriptura ad diversos effectus, videlicet vel ad expellendas infirmitates: Super agros manus imponebant, & bene habebant Marc. ult. 18. ad Exemplum cælestis Medici, qui singulis manus imponens curabat eos. Luc. 4. 48. vel ad dandam benedictionem; sic Jacob benedicturus duos filios Joseph extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natus erat. Gen. 48. 14. & Redemptori nostro oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Matth. 19. 13. id est, ut eos benediceret, ut ex S. Hieron. & Ansel. notat Gonet tom. 5. disp. 6. n. 17. Vel ad designandos, qui Arcæ Domini servirent, ponent filii Israel manus super eos. Num. 8. 10. Vel ad testificandum alicujus delictum, ut luxuriosi senes fecerunt cum pudica Susanna, deducta in judicium coram populo; qui posuerunt manus suas super caput ejus. Dan. 13. 34. Vel ad collocationem ordinum deliquandam, ut agebat Apostolus ad discipulum suum: Noli negligere gratiam, quæ in te est; quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri. 1. Tim. 4. 14. Undè formidandum monitum ad omnes Episcopos, quod idem Apostolus dedit ad eundem Timotheum: Manus citò nemini imposueris. 1. Tim. 5. 22. Vel ad reconciliandos peccatores, aut hæreticos revertentes ad Ecclesiam. Emin. Cardin. de Lauræa de Sacram. Confir. disp. 2. num. 113. & per antonomasiam Impositio manuum significat Sacramentum Confirmationis, per quod nunc datur invisibiliter Spiritus Sanctus, qui tempore Apostolorum per eorum manuum impositionem dabatur visibiliter; & dicitur Confirmatio ab effectu, quia confirmat baptizatum ad confitendum cum constantia fidem Christi. Pax Jordan. lib. 3. tit. 2. n. 1. Gobat. in Experim.

Experim. Theolog. tract. 2. num. 742. Layman. lib. 5. tract. 3. cap. 1. Maltius in 4. Sent. disp. 2. num. 200. Et in Theol. Morali disp. 17. num. 62. atque Eminentiss. Cardinalis de Lauræa pariter in 4. Sent. tom. 3. de Sacram. Confirmat. disp. 1. num. 2. & 3. ubi advertit, primos omnium, qui negarunt hoc Sacramentum, fuisse Donatistas, teste Sallele tom. 2. reg. 234. deinde Mellalinos, Albigenes, & Valdenfes, tandem Lutherum, & Calvinum cum suis sequacibus.

Constat autem, Sacramentum Confirmationis esse in Ecclesia. *cap. Omnes cap. Spiritus. cap. De his verò* 4 *cap. Manus De Consecr. dist. 5. Cap. Multi secularium. 26. q. 1. Cap. Unico §. Per frontis. De Sacra Unct. & cap. Quoniam de Sent. Excom. in 6. Et præter alia Concilia, quæ citantur per eundem Eminentiss. de Lauræa ubi supra num. 6. est Conc. Trid. sess. 7. de Confirm. can. 1. & de Sacram. can. 1. Et licet non appareat explicite in Scriptura Canonica de ejus institutione, adeo ut tempore Alexandri de Ales, qui floruit Parisiis circa annum 1240. nonnulli opinarentur, hoc Sacramentum fuisse institutum sub Melchiade Papa, qui vixit circa annum 314. quæ opinio est hæretica, cum in Trid. Conc. definitum sit de fide, omnia Sacramenta esse instituta à Christo Domino, ut in sess. 7. de Sacram. Ecclesia enim Catholica non sola Scriptura utitur, sed etiam traditionibus juxta Apostoli præceptum 2. *Thessalon. Tenete traditiones quas accepistis sive per Sermonem, sive per Epistolam. Et habetur in cap. Catholica & cap. Ecclesiarum dist. 11. Idcirco indubitabile est, & de fide à Christo Domino Sacramentum hoc confirmationis fuisse institutum; quamvis Ecclesia sub disputatione reliquerit, quo loco, & quo tempore fuerit ab eodem Christo institutum; cum enim plures sint Theologorum opiniones circa locum, & tempus hujus institutionis, de quibus Gonet d. tom. 5. disp. 6. §. 3. num. 16. & 17. & Maltius in 4. Sent. disp. 2. num. 217. & in Theol. Morali disp. 17. num. 64. Eminentiss. Card. de Lauræa d. tom. 3. de Sacram. Confirm. disp. 1. num. 49. Tamen verior, & communior opinio est, quod in nocte Cænæ fuerit à Christo Domino hoc Sacramentum Confirmationis institutum, quod novissime docet etiam Tiranus in Controversiis fidei post Commentaria Scripturæ Sacræ Controv. XX. num. 1. ubi sic ait: *Institutio, & mandatum Christi (hujus Sacramenti) verisimiliter in ultima cæna, ut habet traditio, à posteriori colligitur ex ipso facto Apostolorum: numquam enim Apostoli tam conficenter, & ordinariè usi fuissent tali caeremonia in ordine ad talem effectum, nisi Christus id ipsis præcepisset. Nam non ignorabant, non esse hominum instituire caeremonias, ad quas sequeretur infallibiliter gratia Spiritus Sancti, quod etiam* 6 *Kemnitius, & Calvinus admittunt. Hinc promanavit consuetudo, Sacrum Chrisma conficiendi in die Cænæ Domini, quæ quidem semper in Ecclesia servata est & adhuc servatur; ita tamè ut licet ea nocte Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit, & Apostolos conficere docuerit, nulli eorum, tunc temporis dederit potestatem illud conferendi, quia nondum Apostoli erant constituti Episcopi; sed post Resurrectionem suam, cum dedit eis plenariam potestatem ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis. Hinc est, quod Salvatur Apostolis post Resurrectionem suam ait: *Euntes in mundum universum docete omnes gentes &c. Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Matth. ult. Ergo jam statuerat, quæ erant Ecclesiæ****

necessaria, & executioni mandanda per Apostolos; alioquin non potuissent Apostoli informare, & docere alios numerum Sacramentorum. Quod autem in specie docuerit, eos Christus conficere Chrisma, ex traditione eorumdem SS. Apostolorum dicit Ecclesia, testante S. Fabiano Papa epist. 2. cap. 1. ubi ad Orientales Episcopos ita scribit: *In illa die Dominus Jesus, postquam cænavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt. Chrisma conficere docuit. Et deinde subdit: Ipsius Sancti Chrimatis consecratio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renovanda, & fidelibus tradenda; quia novum Sacramentum est per singulos annos dicto die renovandum. Ista à Sanctis Apostolis, & eorum Successoribus accepimus, & vobis tenendum mandamus. Habentur etiam hæc in cap. Litteris Vestris. De consecr. dist. 3. Ita pluribus citatis & objectionibus solutis firmat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 1. de Sacram. Confirmat. art. 5. per totum.*

Quibus ita præmissis respondentes Quæsito, inter diversas definitiones, ex Doctoribus selectas duas hic referam: Unam pro Theologis moralibus, & est Bonacina de Sacram. disp. 3. q. 1. *Unic. prop. 7* 1. num. 1. Videlicet: *Confirmatio est Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrimate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum. Alteram pro Theologis Scholasticis, ex Scotto in 4. Sent. dist. 7. q. 1. Quam explicat Eminen. Card. de Lauræa d. disp. 1. art. 3. & est hujusmodi. Sacramentum Confirmationis est Unctio hominis Viatoris aequaliter consentientis, vel libero arbitrio numquam usi, facta in fronte figura Crucis, cum Chrimate sanctificato; & hoc à ministro idoneo simul cum intentione debita ungente; & verba certa præferente; significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem ad consistendum cum constantia fidem Christi. In hac habetur genus: Nam plures Unctiones sunt in Ecclesia cum oleo Sacro. 1. Unguntur Pontifices, dum consecrantur, in capite & manibus cum Chrimate. 2. Imperatores, & Reges cum oleo Catechumenorum in brachio, & in humero. Regina verò in humero tantum, nisi sint Dominæ Regni. 3. Sacerdotes eodem oleo Catechumenorum in manibus dum ordinantur. 4. Pueri baptizandi cum eodem oleo in pectore, & scapulis; & cum Chrimate in vertice statim post baptismum. 5. Altaria, & Ecclesiæ oleo Catechumenorum & Chrimate. 6. Infirmi oleo infirmorum. 7. Confirmandi Chrimate Sacro. 8. Calices, & patenæ Sacro Chrimate. 9. Campanæ oleo infirmorum, & Chrimate. Sacro. Et 10. Agnus Dei eodem Chrimate Sacro. *cap. Unic. de Sacra Unct. Barbosa de Episc. alleg. 31. à num. 6. Jordan. lib. 5. tit. 1. & tit. 6. Castald. in Praxi Cærimon. lib. 2. sect. 12. 13. & 15. Magrius in Hierolexic. Verb. Agnus. Dei, & Verb. Chrisma. Habentur etiam in hac definitione differentia, & causæ omnes, efficiens, materialis, formalis, instrumentalis, & finalis; quas explicare superfluum est, & possunt videri apud Scotistas; Uno tantum notato, quod ly. *Homini Viatoris* addendum foret, *baptizati*, quia qui non est baptizatus ungi non potest hoc Sacramento. *cap. Omnes. de consecr. dist. 5. Gonet. d. tom. 5. disp. 6. num. 54.***

DECISIO LIV.

ARGUMENTUM.

Tam de Sacramenti Confirmationis materia remota, quàm de proxima plenè, ac doctè differit præfens Decifio: & circa utramque materiam plura Dubia, scitu unicuique Ecclesiastico necessaria, proponit, pro utraque opinione examinat, & resolvit.

SUMMARIUM.

- 1 Materia remota Sacramenti Confirmationis quanam sit?
- 2 Aromata, quæ à Græcis ponuntur in Chrismate cum vino.
- 3 Balsamum ubi nascatur?
- 4 Apostoli an uterentur Chrismate in Sacramento Confirmationis?
- 5 Oleum nucum, piscium, & aliarum rerum an possit esse ejus materia?
- 6 Balsamum an de essentia Sacramenti ponendum in Oleo Chrismatis?
- 7 Declaratio cap. 1. de Sacram. non iteran.
- 8 Benedictio Episcopalis an sit de essentia Chrismatis?
- 9 Aqua non benedicta cur sit materia acta baptisimi?
- 10 Chrismatis consecratio an sit delegabilis simplici Presbytero. & num. 11.
- 12 Chrisma quod sit benedictum eo anno, an sit de essentia Sacramenti?
- 13 Unctio est materia proxima Sacramenti Confirmationis, sed in fronte, & cum signo Crucis.

IN primis autem, post traditam definitionem, declarare oportet, Quæ sit Materia Sacramenti Confirmationis? Circa quam dicendum est, duplicem esse materiam, scilicet remotam, & proximam, & ideo de utraque separatim respondendum, Itaque ex omnium Catholicorum consensu materia remota Sacramenti Confirmationis est oleum olivarum mixtum balsamo, ab Episcopo eo anno benedictum, cap. Unico. De Sacra Unct. & ex Decret. Eugenii IV. in Concil. Florent. quæ quidem apertissime denotat effectus hujus Sacramenti, tum quia representat dignitatem Sacerdotalem, & Regalem, tum quia sicut oleum nitorem habet, & supereminet cæteris liquidis, atque fovet incendium, ita denotat munditiam Confirmati, & ejus Charitatem superabundantem erga Deum, & erga proximum. Balsamum verò est odoriferum, & ex eo significatur bonus odor fidei nostræ, & bona fama hominis Christiani juxta illud: *Christi bonus odor sumus.* 2. Cor. 2. 15. Calasius de *Pet. Sac. Christ. ritib. cap. 23. pag. 110.* Gonet, d. tom. 5. disp. 6. num. 21. Magistrus in *Theol. Mor. d. disp. 17. num. 67.* Magrius in *Hierolex. d. Verb. Chrisma*, ubi notat, quod Græci præter oleum, & balsamum commiscunt triginta tres species aromatum ad denotandam dictam bonam famam. Gonet tamen d. tom. 5. disp. 6. num. 38. ait, duodecim tantum alia Aromata à Græcis immisceri. Et cum Emin. Card. de Lugo *Resp. Moral. lib. 1. dub. 8.* Gobat d. *tract. 2. num. 745.* subdit, etiam Vinum commisceri ab iisdem Græcis, & fieri ex Vino, Oleo, Balsamo & ex Aromatibus ita simul

coctis Massam non liquidam, sed mollem, qua frontes Confirmatorum unguntur, Balsamum verò cujuscumque regionis existat, licet unum ab altero longè distet in bonitate, sufficere ait Jordan. d. lib. 3. tit. 2. num. 31. & 32. Balsamum olim erat rarissimum in Judæa ex Plinio lib. 3. cap. 25. itaut in hortis Regis tantummodo oriretur; & Regionem Sabam, inter alia munera, Salomoni detulisse plantam Balsami refert Josephus *antiq. Jud. lib. 8. cap. 2.* Ubi ait: *Δένδρον ἐστὶ τῆς Ἑσπερίας οὐκ ἔστιν ἄλλο ὃ καλεῖται δένδρον τῆς Σαβῆς ἵκεται;* in est, Ajunt etiam, quod Balsami Plantam, cujus hodie ferax est nostra Regio, illius Regina munificentia ferre acceptam oporteat. At deinde regionem illam factam esse balsami feracem, notavit etiam Sanctus Hieronymus in *Quæst. Hebraicis*, & ad cap. 27. Ezechielis. Strabo lib. 17. & alii, quos allegat Sherlogus in *Cant. tom. 2. Vestig. 15. sect. 1.* & Gonet. d. disp. 6. num. 41. sed feraciorem Ægyptum, & totam Arabiam ait Malinus in *Schol. Christ. cap. 7. pag. 57.* nunc autem esse feracissimam Americam, ex qua balsamum in varias regiones asportatur, quod licet à Judaico differat colore, est tamen verum balsamum, quia in fragrantia boni odoris, & aliis proprietatibus æquivaleret Syriaco, & ex illo valide conficitur Chrisma, ex declaratione Pauli III. & Pii IX. cum differat, ut vinum rubrum à vino albo; quo utro celebramus, testatur idem Gonet. d. n. 41.

Porrò circa hanc remotam materiam Confirmationis, seu sequentia dubia, à diversis nostri cleri diversè tacta, & non unisonè resoluta, tangenda, & resolvenda unisonè duxi.

Primum Dubium. Apostoli in collatione hujus Sacramenti non utebantur Chrismate, aut alia materia; sed tantummodo manus imponebant. Ergo Chrisma non est materia Sacramenti Confirmationis. Antecedens probatur ex *Act. Apostolor. ibi.* Tunc imponebant munus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. cap. 8. 17. & ibi: *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* cap. 19. 6. Consequens est certum, quia sine materia à Christo instituta non fit Sacramentum. Respondetur dupliciter. Primo scilicet ex Bellarm. *Waldens. Hugone, & aliis*, Apostolos, cum impositione manuum etiam adhibuisse unctionem Chrismatis, licet de ea Scriptura non loquatur; siquidem, ut supra dictum est, id constat ex traditione, qua habuit S. Clemens coadjutor S. Petri, & fuit Papa post S. Cletum: ipse enim ab eodem Beatissimo Apostolorum Principe scivit, quid fecerint Apostoli, ac idem S. Petrus, dum Confirmationis Sacramentum ministrabant, & post S. Clementem, dicere alii pontifices, & tota Ecclesia, quæ semper Chrismatis unctionem in hoc Sacramento adhibuit usque ad tempora S. Fabiani Papæ, qui circa annum 240. vixit, & de hoc scripsit in sua Epistola 2. ad Orientales Episcopos. Secundo respondetur, SS. Apostolos ex speciali privilegio sibi à Christo Domino elargito, contrulisse Spiritum Sanctum iis, quos baptizabant dupliciter; uno modo *Miraculose*, impetrantes descensum Spiritus Sancti in visibili forma per solam manuum impositionem; altero modo *Sacramentaliter*; quando, cessantibus signis illis miraculosis, & forma visibili in principio Ecclesiæ necessaria ad invehendam fidem, ministrabant Sacramentum hoc Confirmationis cum unctione Sacri Chrismatis, juxta præscriptum sibi à Christo Domino datum; & sic primo modo non erat Sacramentum, sed vis, & effectus Sacramenti; secundo au-

tem

tem modo eadem vis, & effectus impertiendam fidelibus mediante Sacramento. Ita ex S. Thom. in 3. p. q. 72. art. 2. ad primum, & ex Scoto, in 4. Sent. d. 7. q. 1. Mastrius in Theol. Moral. d. disp. 17. n. 68. & in eod. 4. Sent. disp. 2. num. 219, 220. & 221. lucidus autem & apertius Emin. Cardin. de Lauræa de Sacram. Conf. d. disp. 1. art. 7. per totum.

Secundum Dubium. An oleum, ex quo una cum balsamo conficitur Chrisma, possit esse oleum Nucum piscium, Amygdalarum, Lini, Rosarum, vel similitum rerum? Respondetur Negativè, quia licet hæc oca habeant vim unguendi; nihilominus appellatione olei venit oleum olivarum, quod maxime habetur in usu hominum; sicut appellatione aquæ, panis, & vini pro Sacramento Baptismi, & Eucharistiæ, intelligitur aqua naturalis, panis triticeus, & vinum vitigenum, quia talium est usus communis; præterquam quod oleum olivarum habet specialem proprietatem significandi effectum huius Sacramenti; nam ipsa oliva semper frondibus virens, virorem, & misericordiam Spiritus Sancti, significat, ut pie considerat S. Doct. d. q. 72. art. 2. ad 3. Gonet. d. tom. 5. disp. 6. num. 30. & Billus in Hierurgia Litt. M. sub. num. 107 § 17.

Tertium Dubium. An admixtio Balsami cum oleo olivarum sit de necessitate, & essentia materie Sacramenti Confirmationis; an tantummodo de Præcepto? Circa hoc dubium Diana part. 3. tract. 4. resol. 23. reposita in Coordinato tom. 1. tract. 2. resol. 1. refert plurimos DD. pro utraque opinione. Primiautumat, admixtionem Balsami non esse de essentia, sed tantum de præcepto. Horum rationes sunt. 1. Quia Eugenius Quartus in suo Decreto Concil. Florent. dixit, ita debere aquam vino admisceri; in Sacramento Eucharistiæ, sicut Balsamum oleo in Confirmatione. Sed aqua in Eucharistia non est de essentia, sed de præcepto. 2. Materia Sacramenti debet esse clara, & certa; sed tale non est Balsamum, quod proveniens è longinquis regionibus adulterari à mercatoribus potest, & solet. 3. Materia Sacramentorum debet esse communis, & facilis ad repertiendum; tale autem non est Balsamum, quod est pretiosum, & in primitiva Ecclesia ob paupertatem Cleri vix poterat comparari. 4. quia Innocentius III. in cap. de Sacramentis non it. vane interrogatus, an Confirmationis Sacramentum deberet iterari in Subdiacono, qui per errorem fuit non Chrismate sed oleo delinitus? Respondit non esse iterandum; sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermisum. Ergo Balsamum non est de essentia.

Alii DD. auctoritate, scientia, & numero non minores docent, Balsamum esse de essentia Sacramenti; quod probatur. I. Ex d. Concil. Florentino in Decretis post. ult. sess. Ubi, dum assignat huius Sacramenti materiam, dicit, esse Oleum Balsamo mixtum. II. Ex epistol. 2. S. Fabiani ad Orientales Episcopos; firmans Apostolos docuisse conficere Chrisma, quo utimur in confirmatione. Sed appellatione Chrismatis tota Ecclesia semper intellexit Balsamum mixtum cum Oleo, ut testantur SS. Patres, Leo I. epist. 86. Dionysius de Eccl. Hier. cap. 4. Cyril. Jerosolim. Cath. 3. August. lib. contr. epist. Pitilian. c. 104. Cyprian. in Sermon. de S. Unct. & S. Gregor. Magnus qui in Cant. cap. 1. ait: In Engaddi Balsamum gignitur, quod cum Oleo Pontificali benedictione, Chrisma conficitur. Et passim alii III. Ex cap. Unico De Sacra Unctione. ubi Innoc. III. ait,

Cum Chrismate, quod ex oleo, & balsamo conficitur. IV. Quia sic docuerunt S. Thom. d. p. 3. q. 72. art. 2. Scotus in 4. Sent. d. d. 7. q. 1. & S. Bonav. ibid. dist. 7. p. 1. q. 2. V. Ex Mystica ratione, nam Balsamum significat Sanguinem Christi. 1. Quia sicut ungulis ferreis percutitur cortex arbutuli, ut per illas scissuras magis fluat Balsamum, sic vulneratum fuit Corpus Sacratissimum Redemptoris ferreis clavis, & flagellis, ex quibus emanabat pretiosus sanguis. 2. Quia Balsamum est ponderosum; sic passio Christi præponderat tribulationibus nostris. 3. Quia cortex Balsami inciditur, non medulla. Sic passa est Christi humanitas, non autem Divinitas. 4. Quia Balsamum est odoriferum; sic Sacrificium Crucis cum effusione Sanguinis acceptum fuit patri in odorem suavitatis. 5. Quia Balsamum est magni pretii; sic Sanguis Christi infiniti valoris; ideo dixit Apostolus: Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Ephes. 5. 2. Et Apostolorum Princeps: Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis &c. Sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi. 1. Petr. 1. 19. Quas mysticas rationes, & alias perpendit Joan. à S. Geminiano in Summ. lib. 3. cap. 69. Quare est omnino tenendum; Balsami mixtionem cum Oleo esse de essentia Materie huius Sacramenti; prout tenent Theologi Scholastici, Gonet. d. tom. 5. disp. 6. num. 32. Mastrius in 4. Sent. d. disp. 2. n. 223. & 224. ubi addit auctoritatem Concilii Trid. sess. 7. can. 2. de Confirmatione. In sua Theol. Morali d. disp. 17. num. 69. Et novissimè præter alios citatos à Diana pro hac opinione, tanquam vera & omnino tenenda, ubi supra Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 1. art. 3. per totum; ubi ex more suo exactè, doctè, ac subtiliter respondet motivis contrariis, quæ nihil obstant. Non primum, quia Concil. Florent. quando exposuit absolutam materiam Sacramenti Eucharistiæ, ait esse panem, & vinum; & Confirmationis esse Chrisma ex oleo, & Balsamo confectum. Quæ expositione facta, declarando postea mysterium aquæ de præcepto in vinum ponendæ, addidit eandem aquam debere misceri cum vino; unde non sic comparative loquitur de aqua, & balsamo, ut legentibus apparet. Non Secundum, quia satis certum, & cognoscibile est balsamum, etsi aliud magis, aliud minus perfectum esse possit, ut de Syriaco, & de Indico advertunt omnes. Non Tertium, quia ubique Balsamum defertur, cum navigatio faciat toti orbi res communes, & in principio Ecclesiæ tantis abundabat Clerus eleemosynis, ut ei difficile haud foret, Balsamum emere, præcipue quia modica quantitas sufficit in magna olei quantitate ex omnium Canonistarum, & Theologorum placito, ac Ecclesiæ usu. Jordan d. lib. 3. tit. 2. num. 32. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 1. num. 88. Non Quartum de responsione Innoc. III. in d. cap. 1. De Sacram. non iterand. in quem textum impingunt Moraliste, unus post alium, & ab ejus intelligentia aberrantes, supponunt Summum illum Pontificem asseruisse validam confirmationem cum solo Oleo. Sed talis non fuit responsio illius præclari Pontificis, qui jam antea dixerat in cap. Unico. de Sacra Unctione: Conficitur Chrisma ex Oleo, & Balsamo mystica ratione &c. Igitur in cit. 7. cap. 1. De Sacramentis non iterand. fuerat interrogatus Papa, an esset iterum ordinandus Subdiaconus, qui ordinem susceperat sacrum sine impositione

impositione manuum; id est absque precedenti valida Confirmatione, quia tantum oleo absque chrismate fuerat delinitus. Et respondit Innocentius III. non esse iterandam ordinationem Subdiaconatus, susceptam ab illo non confirmato. Sed cautè suppleendum, quod incautè fuerat prætermisum: id est, iterum esse confirmandum prædictum Subdiaconum cum Sacro Chrismate, quia delinitus solo oleo non erat confirmatus, ob nullitatem Sacramenti ex defectu Materie, de cujus essentia est, præter oleum, etiam Balsamum. Ita Interpretatur, & respondendum d. textui sapienter docet, tum Theologia Sacra, tum Sacrorum Canonum intelligentia Sapientissimus, ac Eminentiſſi. Cardin. de Lauræa d. disp. 1. de Sacram. Confirm. num. 89. Quapropter textus ille confirmat, Balsami mixtionem esse de essentia materie hujus Sacramenti.

Quartum Dubium. An sit de necessitate Sacramenti, ut Chrisma sit benedictum ab Episcopo? Et affirmativè est respondendum cum S. Thoma d. p. 3. q. 72. art. 3. & Scotò in 4. Sent. d. 7. q. 1. Quod probatur. I. Ex Conc. Florentino expressè dicente, materiam hujus Sacramenti esse Chrisma ab Episcopo benedictum; in aliis autem materiis cæterorum Sacramentorum non adjunxit, ly benedictis, quamvis ex præcepto Ecclesiæ benedicantur. II. Quia SS. Patres vocant Chrisma Sanctum, Sacrum, Sacrosanctum; ut legitur in Concil. Trident. sess. 7. de Confirm. can. 2. & in cap. Unic. de Sacra Unct. & in Concil. Bracaren. 2. cap. 51. At tale non esset, si Balsamum ab Aromatario misceretur oleo. III. Quia Ecclesia jubet custodiri Chrisma sub clavibus cum veneratione, prout fit de SS. Eucharistia cap. Unico. De Custodi. Euch. IV. Quia in cit. Epist. S. Fabiani Papa ad Episc. Orient. habetur expressè, in nocte Cena Christum docuisse Apostolos consecrare Chrisma. Ergo de necessitate per sacram actionem Episcoporum, qui successores Apostolorum sunt, est conficiendum, nam Christus Dominus non docuerit actionem profanam, sed sacram. V. Consecratio Chrismatis est quid pertinens ad ordinem Episcopalem; itaut Episcopus privari non possit, ne validè conficiat. Concil. Rom. 1. sub S. Sylvestro cap. 5. Concil. Carthag. 2. cap. 3. & Carthag. 3. cap. 36. & Toletan. 1. cap. 20. Emin. Card. de Lauræa de Sacram. Ord. disp. 7. num. 103.

Neque subsistunt argumenta Paludani, & aliorum contrarium opinantium, videlicet, quod benedictio Chrismatis sit quid Sacramentale ab Ecclesia institutum, sicut benedictio Aquæ baptismalis, & tamen valet Baptismus licet Aqua non sit benedicta; ac eò magis quia non constat à Christo fuisse assignatam formulam benedicendi, seu consecrandi Chrismatis. Ergo etiam Chrisma non benedictum, potest esse materia valida (etsi non licita) Sacramenti Confirmationis. Respondetur enim validum esse Baptismum etiam cum Aqua non benedicta; quia Christus contactu suæ carnis mundissimæ omnem Aquam consecravit in usum Baptismi; non sic autem materiam Confirmationis, quam ab Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis reliquit consecrandam; & quamvis Christus ipse non determinaverit formam consecrationis Chrismatis, illam reliquit determinandam Ecclesiæ; prout est ab Ecclesia jam determinata, ut in Pontificali Romano in Offic. Fer. V. Cena Domini. Etsi dicta forma non sit quoad Verba & Orationes essentialis, cum de essentia tantum sit Episcopalis consecratio, de Præcepto

Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

autem sit observantia ejusdem præscriptæ formæ consecrandi. Eminentiſſi. Card. de Lauræa de Sacram. Confirm. disp. 1. art. 10. per totum. ubi latè, & doctè de hac forma.

Quintum Dubium. An Summus Pontifex sicut potest committere simplici Sacerdoti hujus Sacramenti administrationem, sic delegare valeat Consecrationem Chrismatis simplici Sacerdoti? Quod possit Papa delegare administrationem Sacramenti Confirmationis simplici Presbytero tenent innumerati DD. quos numerat Barbosa ad Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. Confirm. ad Can. 3. & alii novissimi citati à Pignatello tom. 10. Consult. 117. num. 57. & Consult. 155. num. 2. quas omisit referre Abbas Pascucius ejus compendiator. Sed utrùm Papa possit etiam simplici Sacerdoti delegare consecrationem Chrismatis? In hoc dubio nonnulli tenent, quod non possit. Nam magna est disparitas inter consecrationem Chrismatis, & administrationem; hæc enim potest delegari à Papa simplici Sacerdoti ex causa necessitatis, & in defectum Episcoporum, quæ necessitas non versatur circa materiam, quæ post Consecrationem Episcopalem potest deferri ubique. Præterea producere materiam videtur quid excellentius, quàm compositum, quia materia non est producibilis nisi per creationem; & idè in hoc Sacramento reservanda fuit materie productio, & consecratio solis magnis Ecclesiæ Principibus, id est Episcopis; & est, quod Sacramentum sit quid majus; non est semper verum, licere etiam minus illi, cui, quod est majus, licet; nam homo potest generare hominem, sed non formicam; simplex Sacerdos potest conficere Corpus, & Sanguinem Domini, sed non consecrare Altaria. Ita Gonet d. tom. 5. disp. 6. §. 5. num. 47. qui tenet non esse delegabilem consecrationem Chrismatis simplici Sacerdoti. Tanto minus, quia in consecratione hujusmodi assistunt duodecim Sacerdotes in memoriam duodecim Apostolorum; item septem Diaconi in symbolum septem Diaconorum, quos Apostoli statuerant, & septem Subdiaconi tanquam consocii, Rupert. de Divin. offic. lib. 5. cap. 8. & inter Græcos solus Patriarcha consecrat Chrisma, Magrius in Hierolexic. d. Verb. Chrimacol. 2. Quare pro negativa stant Coninch. de Sacram. disp. 72. art. 3. dub. 1. concl. 4. Bufenbaum lib. 6. cap. 2. dub. 1. Castropal. p. 4. tract. 20. punct. 2. n. 7. Caramuel. in Theol. Moral. num. 3066. & alii apud Barboſ. alleg. 30. num. 6.

Nihilominus affirmativam tenent ferè omnes Scholastici, & præcipuè Scotistæ ex ea ratione, quia sicut Papa potest delegare simplici Sacerdoti administrationem Sacramenti Confirmationis, ita etiam consecrationem materie; & quamvis de jure Divino pro utraque functione Minister sit Episcopus, intelligendum, ajunt, de Ministro Ordinario; secus de extraordinario delegato per Papam, cui Deus dedit hanc potestatem; adeo ut possit in casu necessitatis delegare illam simplici Sacerdoti, quæ necessitas facilius potest oriri circa consecrationem Chrismatis, quàm circa administrationem, quia Chrisma debet esse unus anni, & si mittatur in longinquum locum, inutile evadet, ac invalidum; quod de Ministro non potest contingere, semper enim est aptus, & validus. Imò Presbyter ex speciali delegatione confirmaturus nunquam esset certus de materia, an scilicet Chrisma esset verè consecratum; & illi-

M

& illi-

& illicitum est adhibere materiam dubiam in Sacramento; quæ dubietas cessaret, si simplex Sacerdos ex speciali commissione Papæ posset illud consecrare; quibus, & aliis rationibus huic affirmativæ opinioni adherent Maffius in *Theolog. Moral. d. disp. 17. nu. 7. & in 4. Sent. disp. 2. an. 228. usque ad num. 232.* Gobat d. tract. 2. num. 745. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa de *Sacram. Confirm. disp. 2. art. 3. per totum.* Verum est tamen, quod nullibi reperitur, hanc delegationem fuisse factam, sed pluries simplices Sacerdotes, qui munus consecrandi Chrismi sibi usurpaverant, fuisse prohibitos, ut in *cap. Presbyteros. dist. 95. & cap. Manus. de Consecr. dist. 5.*

Sextum tandem dubium est, *An sit de necessitate Sacramenti, quod Chrisma sit recens, & consecratum eo anno?* Et respondetur Negative: quia est tantum de necessitate Præcepti; & ideo si Episcopus confirmaret fideles cum Chrismate vetusto, peccaret; sed valide confirmaret; numquam enim Ecclesia declaravit invalidum Sacramentum ob vetustatem Chrismatis, etsi frequenter præceperit, & modo præcipiat, singulis annis esse vetus comburendum, & novum consecrandum feria Quinta Cænæ Domini, *cap. Quoniam, ubi Glossa magna, De Sent. Excom. in 6. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. num. 36. & 37. & plurib. Conciliis citatis probat Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 1. de Sacram. Conf. à n. 125. & seqq.* Et hæc de Materia remota hujus Sacramenti Confirmationis.

Quò verò ad Materiam proximam, *Eam esse.* omnes dicunt, *Unctionem, quæ cum Chrismate fit ab Episcopo in fronte homini baptizato in forma Crucis.* Sic enim ipsa determinatur in *cap. Unio. de Sac. Unct. in cap. Pervenit. dist. 95. in Concil. Florentin. Eugen. IV.* Et docent unanimiter S. Thom. 3. p. q. 72. art. 3. & 4. S. Bonaventura in 4. d. 7. par. 1. q. 2. & Scotus ibi q. 1. sub B. Maffius d. 4. Sent. d. disp. 2. num. 233. & 234. Gobat d. tract. 2. num. 746. Gonet d. disp. 6. tom. 5. num. 48. Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 4. Et Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 1. de Sac. Confirm. art. 12. per totum. Neque obstat, quod etiam alia Sacramenta debeant perfici eum signo Crucis, *cap. Nunquid, de Consecr. dist. 5.* & tamen si Crucis signum omittatur, valida est applicatio materiæ proximæ; ut si quis baptizet, effundendo aquam non in modum Crucis, vel si quis ungat infirmum Oleo Sancto, sed signa Crucis non faciat. Nam in hoc Sacramento Confirmationis signum Crucis exprimitur per Verba formæ, & ideo Unctio in fronte eum signo Crucis est materia proxima necessaria ad validitatem; in cæteris autem Sacramentis Verba formæ non exprimunt signum Crucis, & ideo signa Crucis sunt quidem de præcepto, sed non de essentia Sacramentorum. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 1. num. 162.

DECISIO LV.

ARGUMENTUM.

Traditur Forma Sacramenti Confirmationis. Inquiritur an illius Verba sint omnia essentialia ad validitatem Sacramenti? Et quomodo sustineri possit forma brevis, qua Græci utuntur?

SUMMARIUM.

- 1 Forma Sacramenti Confirmationis quænam sit?
- 2 Ejusdem formæ Verba an omnia sint de Essentialia?
- 3 Christus non determinavit in specie formam Sacramenti Confirmationis, & Ordinis.

Explicata utraque materia tam remota, quam proxima, sequitur declarandum: Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis, circa quam omnes dicunt, hanc esse formam: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Habetur in Pontificali Romano; & eam refert S. Thom. d. p. 3. q. 72. art. 4. Scotus in 4. Sent. d. 7. q. 1. B. Layman d. lib. 5. tract. 2. cap. 4. num. 1. Diana part. 3. tract. 4. ref. 27. Quæ thalamum conduxit in Coordinato tom. 1. tract. 2. ref. 3. Volpi Verb. Confirmatio, resol. 35. num. 14. Maffius in 4. Sent. d. disp. 2. à num. 235. & seqq. Gonet d. tom. 5. disp. 6. num. 49. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa de *Sacram. Conf. d. disp. 1. art. 13. per totum.* Porro insignis est controversia inter Scholasticos Theologos, an omnia Verba dictæ formæ sint ita necessaria, & essentialia, ut omisio, vel mutatio eorum destruat validitatem Sacramenti? In qua tres opiniones reperi. Unam, quod sint omnia essentialia, itaut si unum omitatur, vel mutetur, Sacramentum sit invalidum. Alteram, quod essentialia sint tantum illa, quæ demonstrant vel Robur, quod in Confirmatione confertur: vel Causam, à qua confertur, vel Cingulum, quò novus Christi miles armatur. Primum demonstratur ly *Confirmo te Chrismate salutis.* Secundum per expressionem SS. Trinitatis; ly *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Tertium ly *Signo te Signo Crucis.* Opinionem Tertiam; Pote hoc Sacramentum validè (quamvis non licitè) ministrari etiam sub aliis formis demonstrantibus dicta tria, nam Ecclesia Græca utitur hac forma *Ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἐν σημείῳ τοῦ σταυροῦ.* Id est, *Signaculum domini Spiritus Sancti, luppe est istud, quæ habetur ex Cardin. Bessarione tom. 6. Biblioth. Sac. fol. 482. & eam refert Vericell. de Mission. Apostol. tit. 11. sect. 2.* Maffius in 4. Sent. d. disp. 2. num. 237. ubi testatur, eam approbatam tum à Clemente VIII. in Bulla unionis inter Græcos, & Latinos, tum à S. Congregatione sub Urbano VIII. in examine *Euchologii Græci*; & Gonet d. tom. 5. disp. 6. num. 63. ubi relatis diversis formis hujus Sacramenti, subdit rationem, videlicet, Christum non determinasse formam Sacramenti Confirmationis quò ad speciem, sed solum quò ad genus; ac reliquisse potestati Ecclesiæ determinare Verba; unde orta est diversitas formarum; sicut in Sacramento Ordinis Christus non determinavit materiam in specie, sed solum in genere; & voluit ordinem conferri per aliquod signum sensibile significativum potestatis, quæ traditur; sed non designavit in particulari tale signum: unde Sacerdotes in Ecclesia Latina initiantur per contactum Calicis, & Patenæ; at in Ecclesia Græca per manuum impositionem super Caput ordinandi confertur Sacerdotium. Huic opinioni adheret Jordan. d. lib. 3. tit. 2. num. 40. Sed omnino dissentit ab ea Eminentiss. Cardin. de Lauræa, qui primam tuetur opinionem in *cit. disp. 1. art. 13. §. 2. per totum.* Et Coton. lib. 2. Controv. 3. cap. 1. à num.

2 num. 11. & seqq. ubi plura circa utramque formam Ecclesiae Latinae, & Graecae, ad quos praclaros duos Theologos nostri temporis studiosos remitto. Magna, & difficilis est haec Quaestio, An omnia verba formae, in Concilio Florentino sub Eugenio IV. tradita sint de essentia Sacramenti Confirmationis? Affirmant enim ferè omnes DD. latini, ut videre est apud Salmanticenses de Sacrament. tract. 3. cap. 3. punct. 3. & apud Bissum in Hierurgia Sacra. Verb. forma Sacrament. num. 134. à §. 24. & seqq. & secundum hos DD. dicendum est, formam Graecorum supra relata esse insufficientem. Nihilominus Cotonius d. lib. 2. Controv. 3. cap. 1. num. 16. conatur rationibus pluribus eam tueri; subdens num. 17. Formam Latinam non esse essentialiter unicam immutabiliter; sed ex Christi institutione haberi posse absque distincta invocatione Trinitatis, aut explicita actione ministri, aut subjecti, aut Signi Crucis, dummodo haec omnia implicitè significentur.

DECISIO LVI.

ARGUMENTUM.

Resolvit praesens Decisio, an valeat Confirmationis Sacramentum, si ungatur maxilla confirmandi, non autem Frons? Et quid si unctio fiat ab Episcopo non cum pollice, sed cum indice digito? vel pollice manus sinistrae? aut cum pennicillo?

SUMMARIUM.

- 1 Unctio Chrismatis in maxilla an sit validum Sacramentum?
- 2 Frontis unctio in Chrismatis Sacramento est de essentia.
- 3 Graeci in Chrismate inungunt etiam aures, nares, & os.
- 4 Ecclesia Latina est Magistra veritatis.
- 5 Digito indice an Chrisma sit validum?
- 6 Et an licitum?
- 7 Dignitas Pollicis virtus, & mystica significatio, & num. 9.
- 8 Digitorum manus hominis nomina, & symbola.
- 10 Trinitas Sanctissima assimilata tribus primis digitis. Et quare?
- 11 Digito pollice manus sinistrae an liceat dare Chrisma?
- 12 An Pennicillo?

Quoniam dictum est in Decis. LIV. num. 13. Unctionem Sacri Chrismatis esse faciendam in fronte illius, qui ad hoc Sacramentum accedit, valde dubitatur, quid sit sentiendum de sequenti casu. Pueri frontem, saxo laesam, non inunxit Episcopus, sed ejus dexteram maxillam. Quaeritur, an licitè, & validè illum confirmaverit? Et equidem dicendum est, neque licitè, neque validè illum confirmasse; quia verior est opinio, quod Unctio cum Chrismate in fronte sit de essentia, & necessitate Sacramenti; ut advertit Diana part. 8. & Misc. 3. ref. 30. Quae jacet in Coordinato tom. 1. tract. 2. resol. 6. ubi num. 2. nominat opinionem contrariam temerariam, & falsam ea ratione, quia omnes SS. Patres, Pontifices, & Canones, qui

Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

de hac Sacra Unctione loquuntur, semper eam conjungunt cum parte ungenda, scilicet fronte; ut in Epist. Innoc. L. ad Decentium in cap. Presbyteri. dist. 95. in cap. Novissime. de Consecr. dist. 5. cap. Unico de Sacra Unctione. Et in Concil. Florent. ubi Eugenius IV. ita loquitur: In fronte inungitur confirmandus, ne Christi nomen erubescat, & praecipue Crucem ejus, quae Judaeis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum; propter quod Crucis signo signatur. Et licet Ecclesia non definiverit, hanc in fronte signationem esse essentialem, satis id indicat antiquissima, & numquam interrupta observantia; & etiam ex eo, quod eodem jure praecipit semper Unctionem esse faciendam in figura Crucis, & in fronte; idè utraque circumstantia est de essentia Sacramenti; maxime ex fine essentiali hujus Sacramenti, qui est, ad confitendum Christum absque erubescencia, & timore, ut scribit S. Thom. d. 3. p. q. 72. art. 9. Suarez ibid. q. 72. art. 4. disp. 33. sect. 3. in medio. Sylvest. Verb. Confirmatio Divina q. 1. in fin. & q. 3. Angel. eod. F. §. 9. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. nu. 28. Volpi resol. 35. num. 9. Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 5. in fine. Diana Coord. d. tom. 1. tract. 2. resol. 6. num. 2. & 3. ubi tamen advertit, quod 3 Graeci praeter frontem inunguntur etiam aures, nares, & os, sed quid ad Nos? cum Graeca Ecclesia debeat discere à Latina; & non è contra, ut docet scribit Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 1. 4 art. 1. art. 13. & signanter num. 176. rationem reddens, quia Ecclesia Latina est Magistra veritatis, cap. In novo. & cap. Quamvis dist. 21. Debebat igitur Episcopus, de quo in nostro casu, si valde laesa erat frons confirmandi, eundem praeterire, & in aliud tempus Confirmationem differre; vel si parva erat laesio, ipsum in fronte, paululum à medio, inungere, & signare.

Sed quid respondebit doctus Confessarius sive secularis, sive regularis interrogatus de validitate Sacramenti Confirmationis in sequenti casu? Episcopus digito indice signat frontes confirmandorum, dolorem patiens in Pollice. Quaeritur, an validè, & licitè confirmet? Quod validè confirmet, debet respondere; quia sic docent Theologi Morales, quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 4. ref. 22. & ref. 28. Quae sedent in Coordinato tom. 1. tract. 2. ref. 7. & 8. Tambur. de Tripl. Jur. lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 6. Gobat d. tract. 2. num. 747. & Cotonius lib. 2. Controv. 3. cap. 2. num. 29. & Jordanus d. lib. 3. tit. 2. num. 40. An autem licitè? non est constans Scriptorum responsio, quorum aliqui opinati sunt, non licuisse Antistiti indice signare frontes Confirmandorum ob tres rationes, videlicet Praecepti, Reverentiae, & Mysterii. Ratio Praecepti consistit in Rubrica libri Pontificalis, cui est parendum sub poena peccati mortalis in re gravi, & saltem venialis in re levi, ut aliàs diximus, ex Sperell. decis. 179. num. 23. Ratio Reverentiae est, quia signans, & inungens frontes Confirmandorum Indice digito, dum alas ejusdem dederit, inunget etiam maxillas, non sine Sacri Chrismatis irreverentia. Mysterium verò desumitur ex digito Pollice, quia inquit Durand. in Ration. Divin. offic. lib. 6. cap. 84. num. 5. ille in consecratione Pontificis est ad hoc specialiter consecratus. Vel quia omne datum optimum descendit à Patre luminum: quam secundam mysteriosam Durandi rationem intellectu difficilem vocavit A. R. Jacobus Ployeneus Archiepres-

M 2

chipres.

chipresbyter, & Vicarius Foraneus Fonzasi, moribus, & virtute præclarus, in responsione ad hunc casum; interpretatus illam his verbis: *Forasan, quod sicut Pollex primus est inter digitos, sic Pater luminum primus est, Alpha, & Principium, à quo bona cuncta procedunt.* Et quidem optimè.

8 Cui ego addo explicationem sequentem; nempe quod sicut digitus minimus vocatur *Auricularis*, quia eo aurem prurientem scalpimus; alteri vicinus *Annularis*, quia in eo annulum deferimus; tertius *Medius*, quia stat in medio digitorum; subsequens *Index*, quia ipso aut silentium ad os amoto indicimus, vel aliquid distans monstramus; ita digitus primus *Pollex* appellatur à verbo *Polleo*, seu à pollendo; quia ipse est qui toti manui vim præstat, robur dat, & eo stringente ita manus pollet, & fortis evadit, ut gladium stringere, pondusve grave levare, atque sustinere valeat. Et ex hoc resultat Mysterium, quare Ecclesia præceperit, frontes Confirmatorum inungendos esse ab Episcopo digito Pollice; ad magis scilicet denotandum robur, & vigorem ipsius imperitum in anima, de quo in *cap. Omnes. cap. Spiritus. de consecr. dist. 5. & cap. Unico. §. Per frontis. De Sacra Unct.* itaut constantes, impavidi, & strenui sint in stringendo Gladio Spiritus, quod est Verbum Dei. *Ephef. 6. 17.* fidem Christianam confitendo coram Tyrannis, & Evangelicas virtutes defendendo adversus persecutores aut desertores, de quibus habetur in *Apoc. 2. 16.* *Et pugnabo cum illis in gladio oris mei, & pugnando pro acquisitione æterni Regni, & coronæ gloriæ, juxta illud: Esote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum. In Vesp. 2. Apost. Et illud: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apoc. 2. 10.* Et tandem ad significandam fortitudinem ab hoc Sacramento receptam pro sustinendis ponderibus injuriarum, & tribulationum ob obedientiam. Evangelii, & amorem Christi; itaut virtute Sacri Chrismatis reputent levia quæcunque adversa, ut dicebat Apostolus: *Id enim, quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. 17.* Porro etiam robur, fortitudo, & potentia prædicta donetur in Sacramento, virtute Spiritus Sancti, per merita Filii, tamen procedit à Patre; qui est principium originale, à quo aliæ divinæ Personæ procedunt; & quamvis omnes tres Personæ sint omnipotentes, quæ idcirco assimilatae sunt tribus digitis potentissimis: *Quis appendit tribus digitis molem terræ. Isa. 40. 12.* nihilominus per excellentiam Potentia attribuitur primæ Personæ, hujus est symbolum Digitus primus in manu, vocatus *Pollex*, de quo locutus Durand. in *ration. Div. offic. d. lib. 6. cap. 84. num. 5.* ait, cum illo per Episcopos esse inungendos frontes confirmandorum; quia *Omne datum optimum, idest, vigor, robur, & potentia, descendit à Patre luminum*, id est, à Prima Persona Sanctissimæ Trinitatis, originaliter, & excellenter Bona, & Potens.

Sed quid esset responsurus Episcopo prædictus Confessarius, quem ipse Antistes habens pollicem manus dexteræ dolorificum, consuluisset, an ei liceret ministrare Sacramentum hoc Confirmationis pollice digito manus sinistrae? Ad hanc requisitionem, si Confessarius hujusmodi foret P. Gobatus responderet affirmative, nam scriptum

reliquit in sua Theol. Experim. d. tract. 2. num. 747. quod Episcopus potest inungere frontem Confirmatorum sacro Chrismate non solum pollice dextero, sed etiam sinistro; id quod non valet intelligi, nisi de pollice manus sinistrae. Allegat auctoritatem Episcopi Traguriensis Pacis Jordani tom. 1. lib. 3. tit. 2. nu. 40. ubi tamen non loquitur expressè de pollice sinistro, seu de pollice manus sinistrae; sed virtualiter hoc dicit, quia affirmat valere Sacramentum, si unctio frontis fiat ab Episcopo alio digito, quam pollice dextero; ergo etiam pollice manus sinistrae.

Corollarii loco hic notandum, ex communi DD. placito, nullum fore Sacramentum Confirmationis, si Episcopus inungeret frontes pennicillo, aut alio Instrumento; (cui tempore Pestis ita dari possit Extrema Unctio Infirmis) quia est de essentia Confirmationis, ut immediatè fiat digito Episcopi, ut tradit Jordan. d. lib. 3. tit. 2. num. 41. & Diana part. 3. tract. 4. ref. 22. & 28. Quæ in Coordinato habentur tom. 1. tract. 2. ref. 7. & 8. Ubi decessat Fernandez, ea ratiōne, quia dicitur manus impositio etiam mediante Instrumento, ut in percussione Clericum ligno, vel lapide: sed in præsentia materia non est audiendus, quia tactu manus Episcopalis est Unctio facienda.

DECISIO LVII.

ARGUMENTUM.

Agitur de Ministro Sacramenti Confirmationis, & docetur, quod ejus Minister ordinarius est Episcopus. Extraordinarius etiam simplex Sacerdos ex delegatione Papæ. Tempus, locus, & habitus declarantur, quibus Episcopus debet hoc Sacramentum ministrare.

SUMMARIUM.

- 1 Minister quis sit Sacramenti Confirmationis?
- 2 Samaritani baptizati à Philippo, cur ab eo non confirmati?
- 3 Summi Pontifices, qui delegant Presbyteris ministrationem Confirmationis.
- 4 Papa potest delegare simplici Sacerdoti, ex causa urgenti, ut confirmet.
- 5 Sedes Apostolica Romana non potest errare in fide.
- 6 Ordinarius Minister Confirmationis est Episcopus. Extraordinarius etiam simplex Sacerdos ex delegatione Papæ.
- 7 Episcopus quomodo debeat esse dispositus, vel indutus pro ministrando Confirmationis Sacramento?
- 8 Episcopus an possit recipere Procuracionem à Diacese, si per eam vadat ministraturus Sacramentum Confirmationis?
- 9 Locus in quo Confirmationis Sacramentum sit ministrandum?

T Andem, ut accedamus ad complementum hujus tractatus de Sacramento Confirmationis, oportet in præsentia declarare, & decidere: Quis sit Minister Sacramenti Confirmationis? Circa quod omnes dicunt, Ordinarium Ministrum Sacramenti Confirmationis esse solum Episcopum consecratum; ea ratione quia Episcopi sunt successores Apostolorum, quibus competeat, & non aliis

aliis inferioribus, hoc Sacramentum administrare: & ideo Philippus Diaconus est in Samaria convertisset ac fidem, & baptizasset Samaritanos, eos tamen non confirmavit; sed cum audissent Apostoli, qui erant in Ierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu; tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Act. 8. 14. Et sic decisum legitur in cap. Ut Episcopi. cap. Manus quoque, cap. De his vero. cap. Novissime De consecr. dist. 5. Et in Decreto Eugenii IV. in Concil. Florent. Et in Concil. Trident. sess. 7. de Confirm. can. 3. & sess. 23. cap. 4. docuitque S. Thom. in 3. p. q. 72. art. 11. Scotus & S. Bonav. in 4. dist. 7. q. 1. Et novissime Mastrius in 4. Sent. disp. 2. num. 243. & in Theol. Moral. disp. 17. n. 71. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacram. Confirm. disp. 2. art. 1. per totum; in quo firmat, ordinem Episcopalem esse de essentia Sacramenti Confirmationis in Ministro, adeo ut Episcopus non possit delegare ejus administrationem simplici Sacerdoti.

Verum quia Summi Pontifices non semel delegarunt facultatem confirmandi etiam simplicibus Sacerdotibus, ut de S. Gregorio magno habetur in 3. lib. Epist. 26. & in cap. Pervenit, disp. 95. de Nicolao I. in Appendice post Epist. ejus 16. de Leone X. & de Adriano VI. ut refert Eminent. Card. de Lugo Resp. Moral. lib. 1. dub. 6. & Gobat d. tract. 2. num. 749. Hinc insurgit molestum hoc dubium, quomodo possit hoc esse? vel enim Confirmare est actus Ordinis? & sic nulli carenti ordine potest committi, & præcipue absenti, Vel est actus Jurisdictionis? & sic qui essent ab alieno Episcopo confirmati, esset invalide confirmati; & ideo ante Concilium Florentinum, & Tridentinum, adeo se torserint Theologorum ingenia, ut inter se acriter de hoc disputarint, ut notat Mastrius d. disp. 2. num. 244. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 2. art. 2. ubi n. 25. firmat, posse Papam simplici Sacerdoti delegare munus ministrandi Sacramentum Confirmationis, urgente legitima causa, juxta definitionem Concil. Florentini in Decreto Eugenii IV. de hoc. Sacram. Idem scribit Eminent. Cardin. Brancatius in Opus. de Benedictione Diaconali pag. 298. Novissime ex Pignatello tom. 6. consult. 11. Abbas Pascucius Verb. Cognatio Spiritualis, pag. 172. Et ratio est, quia à Christo data est facultas Vicario suo in hoc Ministerio dispensandi; de qua facultate etsi non constet per scripturas, constat per traditionem, & per id, quod practicum est ab Ecclesia Romana, & ab Apostolica Sede, quæ cum errare non possit in fide, quia Porta inferi non possunt adversus eam prevalere, ex Matth. 16. imò ipsa destruat omnes errores. cap. 8. Petrus, 24. q. 1. & semper habuerit, & habeat veram doctrinam de Sacramentis. cap. Ad abolendam. De Heretico. & ex Trid. sess. 7. de Sacram. Baptis. can. 3. sequitur dicendum, ex eo quod Sedes Apostolica pluries dispensaverit, ut possit simplex Sacerdos, ex legitima, & urgente causa, Sacramentum Confirmationis administrare, habuisse facultatem à Christo Domino dispensandi, itaut Christus Dominus instituerit Episcopum in ministrum or-

dinarium hujus Sacramenti; ac etiam simplicem Sacerdotem in ministrum extraordinarium, ex delegatione tamen Summi Pontificis Vicarii sui; adeo ut intelligatur conjuncta hæc potestas cum charactere Sacerdotali in actu primo, sed exire non possit in actum secundum sine commissione sui Vicarii. Gobat d. tract. 2. num. 749. Mastrius d. disp. 2. n. 246. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 2. art. 2. & art. 4. ubi quod dicta Pontificia delegatio durat ad tantum tempus, & se extendit ad tot actus, ad quæ est per Papam determinata. Igitur Episcopus est ordinarius Minister hujus Sacramenti, itaut sive esset hæreticus, sive excommunicatus, sive degradatus, valide, (etsi illicite) confirmaret. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 2. art. 5. Inferiores autem Episcopo, quamvis essent Abbates Mitrati, invalide confirmarent absque Papæ expressa commissione. Pignatellus tom. 10. consult. 155. Barbosa de Episc. alleg. 30. num. 5. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. num. 11. & 12. ubi advertit ad licitam administrationem hujus Sacramenti in Episcopo requiri, ut sit indutus Pluviali, Mitra, Stola, & Baculo Pastoralis, quamvis ob æstivos calores, & multitudinem confirmandorum liceat deponere Pluviale, illud reassumendo ante benedictionem, & de consilio ab Episcopo jejuno, & solis jejunis debet administrari; & in festivis diebus; ac in praxi pendet à prudentia Episcopi, qui mortaliter peccaret, si nimis differret hujus Sacramenti collationem, videlicet ultra quatuor, aut quinque annos, & ideo tenetur perquirere Dicesim etiam ad hunc solum effectum ministrandæ Confirmationis, quo casu etsi DD. asserant, non posse recipere procurationem à populis, sed suis sumptibus se alere debere. Barbosa d. alleg. 30. num. 10. Jordan. d. tit. 2. num. 15. Et Fagnan. in cap. Venerabili num. 19. de Censib. nihilominus novissime, quod possit Episcopus recipere procurationem, decisum fuisse à Sacra Congr. die 24. Aprilis 1655. testatur Crippin. de Visit. Pastoralis part. 1. §. 16. num. 17. si talis sit consuetudo. Sed raro casus iste eveniet in hisce regionibus, & Diocesis, in quibus Episcopi continuam habent necessitatem visitandi, & in Visitatione Sacrum Chrisma administrant. Tandem in Ecclesia est conferendum hoc Sacramentum, nisi legitima causa, vel impedimentum suadeat, etiam extra Ecclesiam, in loco tamen decenti, administrare; circa quod non sint faciles Episcopi ob communem DD. opinionem, quæ tenet esse peccatum mortale. Castropalaus part. 4. tract. 20. punct. 10. Barbosa d. alleg. 30. num. 13. & Jordanus d. tit. 2. nu. 17.

DECISIO LVIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur tres effectus Sacramenti Confirmationis: Character, Gratia, & Cognatio spiritualis; ad quos consequendos docetur requiri tres dispositiones in suscipiente: Baptisum, Intentionem, & Statum gratiæ.

SUMMARIUM.

- 1 Effectus Sacramenti Confirmationis qui, & quot sint?
- 2 Character in anima est primus effectus Confirmationis.
- 3 Irregularis an evadat reiterans Sacramentum Confirmationis?
- 4 Gratia, secundus effectus Confirmationis, Et an prima, vel secunda?
- 5 Cognatio Spiritualis ob Confirmationem quas personas afficiat?
- 6 Dispositio quæ, & quodplex necessaria sit in confirmando?
- 7 Infantes olim confirmabantur.
- 8 Etas qua sufficiat pro pueris confirmandis?
- 9 Intentio suscipiendi Chrisma necessaria in suscipiente.
- 10 Confessarii premitendi per Diocesim, ubi administrandum est S. Chrisma.
- 11 Prima gratia an detur in Confirmatione?
- 12 Episcopus an alienos subditos possit in sua Diocesi confirmare?

Restat explicare, Qui sint effectus Sacramenti Confirmationis? Quapropter oportet scire, secundum communem doctrinam Theologorum, & Canonistarum, quod ejus effectus sunt tres: Character, Gratia, & Cognatio Spiritualis. Primus effectus hujus Sacramenti est Character, indelebilis in anima; qui numero, & specie differt à characterè baptismali; siquidem per hunc homo fit Christianus, & de familia Christi. *cap. Displicet, 24. qu. 1. cap. 2. Ad hoc Baptismus.* De consecr. dist. 4. At per Characterem Confirmationis homo Christianus fit miles, & de numero bellatorum Christi. *Concil. Florent. in Decret. Eugen. IV. §. Quinto Ecclesiasticorum, Concil. Trident. sess. 7. de Sacram. can. 9. S. Thom. part. 3. qu. 72. art. 6. Scot. in 4. Sent. dist. 7. qu. 4.* Et ideo hoc Sacramentum, ratione characteris impressi non potest reiterari; quod si de facto iteretur, nullum causat effectum; verumtamen Minister, & suscipiens scienter reiterantes peccant mortaliter; sed non incurrunt irregularitatem, aut censuram; quia neutra in jure reperitur expressa, aut statuta; sicut factum est in reiterantibus Baptismum in *cap. Quibus. de Consecrat. dist. 4. ut plene probat Emin. Cardin. de Lauræa de Sacram. Confirm. d. disp. 2. art. 6. per totum.* Suarez de Censuris dist. 42. sect. 4. n. 6. Barbosa, qui contrarium opinantes allegat, sed non sequitur, *alleg. 30. n. 30. & Pax Jordanus d. lib. 3. tit. 2. n. 58.*

Secundus effectus est Gratia gratum faciens in non ponente obicem; non tamen prima gratia, sed secunda; nam prima datur per Baptismum, & per Pœnitentiam, quando fuit amissa per mortale peccatum. *Concil. Florent. ubi supra, Concil. Trident. sess. 7. de Sacram. can. 6. & de Confirm. can. 2. cap. Spiritus, de consecr. dist. 5. & cap. Unico. de Sacra Unct.* Gratia autem, quæ datur in hoc Sacramento Confirmationis, est robur, seu vigor ad confitendum cum constantia fidem Christi. *d. cap. Spiritus & cap. Omnes. De Consecr. dist. 5. d. cap. Unico. §. Per frontis.* ubi Innoc. Papa. III. ait; *Per Confirmationem Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robur.* Et hanc gratiam superare illam datam in Baptismo, & esse duplo majorem ex Suarez, & aliis notat Gobat *d. tract. 2. n. 803.* Et Diana *par. 4. tract. 4. resol. 50.* Quæ extat in *Coordin. tom. 1. tract. 2.*

resol. 10. Caterùm, an hæc gratia roborans sit diversa à Sanctificante? & an detur in actu, vel in virtute, dum conferitur hoc Sacramentum? vel potius derur tantummodò Jus (simul tamen cum gratia sanctificante) ad auxilia roboris obtinenda tempore congruo, & quando urget necessitas confitendi fidem? Disputant Scholastici, ut videre est apud Maffrimum in 4. Sent. dist. 2. apud Gonet *d. tom. 5. de Confirm.* Et Emin. Card. de Lauræa de hoc Sacram. dist. 3. art. 7. ad quos remittimus studiosos, Utrum autem per accidens detur in hoc Sacramento prima gratia, dicemus *infra num. 11.*

Tertius effectus est cognatio spiritualis, quæ afficit confirmantem, Confirmatum, Patrem, Matrem, ac Patrimum ejusdem. *Concil. Trident. sess. 24. de ref. cap. 2. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. n. 61.* Alios effectus provenientes ab hoc Sacramento, ad expellendos morbos, & abigendos dæmones referunt Francisc. de Lugo *lib. 3. cap. 2. q. 1. num. 5. & 6.* Viçorell. in addit. ad Tolet. *lib. 2. cap. 24.* Et Gobat *d. tract. 2. n. 797.* quos lectores consulant, & exempla reperient.

Caterùm, quia ad consequendos unâ cum Sacramento Confirmationis etiam prædictos tres effectus ejusdem Sacramenti, opus est dispositione, Quæritur, Quæ dispositio sit necessaria in suscipiente Sacramentum Confirmationis? Cui Quæsitio respondetur, triplicem dispositionem esse necessariam, Baptismum scilicet intentionem, & Statum gratia. Prima dispositio est Baptismus; ideoque qui non est baptizatus non potest confirmari, cum baptismus sit janua aliorum Sacramentorum. *cap. Peniens. De Presbyt. non baptiz. cap. Omnes fideles. De Consecr. dist. 5. S. Thom. p. 3. qu. 72. art. 8. Barbosa alleg. 30. num. 17. & passim omnes.* Secunda dispositio necessaria est Intentio; quæ in infantibus, & amentibus sufficit præsumpta ex Intentione Christi, & Ecclesiæ. *Jordan. d. lib. 3. tit. 2. n. 52.* Porro, et si priscis temporibus infantes confirmarentur; hodie hoc Sacramentum non debet conferri, priusquam rationis usus elucescere incipiat, hoc est circa septennium, non solum ob periculum reiterationis; sed multo magis, ut orationibus, & mentis devotione possint Confirmandi excitari ad Sacramenti venerationem, & ad recolendam gratiam, quam in ipso susceperunt. *M. Ant. Genuen. in Manual. Pastor. cap. 54. n. 3. Barbosa d. alleg. 30. n. 17. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. n. 34.* Et Narbona de etate Anno septimo qu. 3. ubi refert opinionem DD. concedentium, posse Confirmari etiam puerum trium annorum; sed in hoc, subdit, plurimum exuberare arbitrium Episcopi, qui potius debet inclinare in confirmandis, quam in rejiciendis pueris quinque, vel sex annorum, ne fortè ob distantiam à civitate moriantur absque hoc Sacramento; aut diutius careant gratia ejus habituali. Non desunt DD. apud Dianam *part. 3. tract. 4. ref. 20.* quæ in Coordinato est *tom. 1. tract. 2. resol. 16.* opinantes esse denegandum Sacramentum confirmationis perpetuo amentibus, saltem si constaret, eos ante amentiam obstrictos fuisse culpa mortali; sed circumscripta notorietate criminis, eorum opinionem improbat Genuensis *d. cap. 54. num. 4.* Barbosa *d. alleg. 30. numer. 21.* & Jordanus *d. tit. 2. num. 20.* & multo magis si ante furorem requisivissent hoc Sacramentum. Cotonius *d. lib. 2. Controv. 3. n. 42.* Igitur in Adultis confirmandis, usum rationis habentibus, est necessaria intentio suscipiendi hoc Sacramentum; quia si quis fide accederet,

ret, fingens exterius illud recipere, sed interius noluerit, nullum reciperet Confirmationis effectum S. Thom. 3. p. qu. 69. art. 9. S. Bonav. in 4. dist. 4. part. 2. qu. 3. Emin. Cardin. de Lauræa d. disput. 3. num. 125. & seqq. & num. 144. ubi ostendit, quod etiam recedente fictione post factum, assumens interiore consensum, nullum recipit effectum Confirmationis, id est, neque characterem, neque gratiam, quia invalidum fuit Sacramentum ab initio ob defectum intentionis. Tertia tandem dispositio necessaria in suscipiente est *Status gratia*; id est, ne sit in peccato mortali, & quatenus esset in illo, ut liberetur vel per confessionem, vel saltem per contritionem cum voto confitendi; aliàs reciperet quidem characterem, non autem gratiam sanctificantem, & roborantem, nisi recedente fictione, & ablato obice peccati per Sacramentum Penitentia in re, vel in voto cum contritione. S. Thom. in 4. d. 4. qu. 3. Eminen. Cardin. de Lauræa d. disput. 3. art. 9. per totum. Barbosa d. alleg. 30. num. 18. & 19. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. num. 52. advertens, laudandos esse Episcopos, quæ præmittunt Confessarios, à quibus excipiantur Confessiones Confirmandorum; prout semper fecit Eminentiss. ac Reverendiss. Noster Præsul Cardinalis Barbadius; quandoquidem, etsi confessio Sacramentalis non sit de Præcepto, sed de consilio. Suar. disp. 34. sect. 2. & disp. 35. sect. 1. Jordan. ibid. plurib. citatis num. 52. cum suppleri possit per contritionem: nihilominus cum hæc non sit ita facilis in fudibus hominibus, expedit eos à mortali bus expiari per Sacramentalem Confessionem, Quod si bona fide crederent se esse contritos, vel non recordarentur peccati mortalis, quo obstricti forent, in hoc casu communis est Theologorum opinio, quod etiam primam gratiam conferat Sacramentum Confirmationis. Jordan. d. num. 52. ex S. Thoma 3. p. qu. 72. art. 7. Gobat d. tract. 2. num. 802.

Denuò additum fuit huic Quaesito, non levem esse controversiam inter Canonistas: an Episcopus confirmans alienos subditos in sua Diocesi incurrat in gravem culpam, suspensionem, & irregularitatem? Et communiter est negativa opinio. Diana part. 2. tract. 17. ref. 17. & part. 4. tract. 4. ref. 50. Quæ sunt in Coordinato tom. 1. tract. 2. resol. 10. & 11. Illam corroborat Praxis nostræ regionis, in qua Episcopi confirmant quoscunque absque aliqua interpellatione; quia tacite censentur Ordinarii consentire, ut dicunt Henriquez in Summ. lib. 3. cap. 6. num. 6. Barbosa d. alleg. 30. num. 4. & alii apud Jordanum d. lib. 3. tit. 2. num. 49. & 50. qui num. 51. subdit, in aliena Diocesi non licere extraneos, neque suos subditos Episcopo confirmare ob vetitum exercitium Pontificalium, sine quibus hoc Sacramentum administrari non potest, & qui secùs faceret, incideret in suspensionem Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. de Ref. Novissimè Pignatellus tom. 10. consult. 154.

DECISIO LIX.

ARGUMENTUM.

Propositis pluribus generibus personarum, quæ non possunt esse Patrini in confirmatione; ostenditur ab his Patrinatus officium suscipientibus, si quis non sit ba-

ptizatus, vel non confirmatus, nullam contrahi spirituales cognationem.

SUMMARIUM.

1. Patrini in Confirmatione qui esse non possint?
2. Patrinus non baptizatus nullam contrahit spirituales cognationem.
3. Patrini prohibiti si suscipiant: confirmandum quando contrahant cognationem?
4. Patrinus non confirmatus tenens in confirmatione an eam contrahat?
5. Quod non contrahat, DD. rationes, & jura.
6. Verba Non potest sunt irritantia actum.

IN Sacramento Confirmationis notum est intervenire Patrinum, & hunc contrahere Cognationem spirituales, ut diximus supra. Modò proponitur Calus iste: Titius non confirmatus tenuit ad Confirmationem puerum; ejus deinde Matrem viduam vult in uxorem ducere. Quaritur an possit? Pro materia Patrinorum præmittendum est, plurimos prohiberi in jure, ne officio Patrini fungantur in Sacramento Confirmationis, quos ego summam referam. I. Non baptizatos, & non confirmatos. cap. in baptisate. De Consecr. dist. 4. II. Regulares. cap. Non licet. cap. Monachi. d. dist. 4. de Consecr. cap. Placuit il primo 16. qu. 1. cap. Pervenit. 18. q. 2. III. Clericos seculares; ut in Constit. Synodalibus Patavinis part. 2. cap. 13. Vers. Singuli. IV. Publicos penitentes. Concil. Parisien. 6. lib. 1. can. 54. V. Excommunicatos, Interdictos, Schismaticos, & Hæreticos Concil. Mediolan. 1. part. 2. tit. de Baptism. VI. Pueros ante usum rationis, illum tamen aliqui etiam ante septennium possunt habere. cap. Vos ante omnia. De Consecr. dist. 4. Narbona de Aetate Anno sept. quest. 15. Justus de Dispensat. Matrim. lib. 2. cap. 5. nu. 45. VII. Patrinos, qui susceperunt in Baptismo. cap. in Catechismo. ead. dist. 4. de Consecr. VIII. Neque plures uno. cap. non plures. ead. d. 4. cap. Fin. de Cognat. Spiritu in 6. Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de Ref. ubi permittuntur Unus, & Una. IX. Neque illos, qui ea die alios duos Confirmatos susceperint, nisi Episcopus permittat ob personæ probitatem. Pontific. Roman. in Rubr. X. Neque illos, qui eo anno in Paschate non communicarunt. Constitut. Synod. Patav. d. part. 2. cap. 3. Vers. singuli. XI. Nescientes Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, neque Decalogum. ibidem. XII. Genitores respectu propriorum filiorum, Maritumque respectu suæ Uxoris, & vice versa, ibid. Vers. nullus. Et de supradictis omnibus non admittendis ad Patrinatus officium tradunt Barbosa allegat. 30. à n. 36. & seqq. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. à n. 62. Trullench. de Sacram. Confirmat. lib. 2. cap. Unica n. 18. Sanchez. de Matrim. lib. 7. disp. 60. & seqq. Diana Coordin. d. tom. 1. tract. 2. resol. 21. 22. 23. & 24. Tamburin. de Confirm. lib. 3. cap. 4. Et Emin. Cardin. de Lauræa de Impedim. Matrim. disp. 28. art. 6. §. 1. 2. & 3. Secundo præmiserunt, extra omnem controversiam esse, quod si non baptizatus suscipiat baptizandum, vel confirmandum, nullam contrahit spirituales cognationem, ut juribus, rationibus, & auctoritatibus probat Sanchez de Matrim. d. lib. 7. disp. 60. num. 7. & 8. Franc. de Lugo de Sacram. Baptism.

Baptism. lib. 2. cap. 7. num. 30. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 28. num. 98.*

Tertio præmittendum omnes prohibitos exercere munus Patrini supra expressos à num. 3. & seqq. peccare quidem se intrudendo in dicto munere, & suscipiendo Confirmandum absque dispensatione Episcopi, sed nihilominus contrahere cognationem spiritualement. Barboza *d. alleg. 30. à num. 36.* Jordan. *d. tit. 2. à num. 62.* Franc. de Lugo *lib. 3. cap. 5. & Diana Coordinatus d. tom. 1. tract. 2. resol. 21. 22. 23. & 24.* Quare sola difficultas remanet in Patrino non confirmato, qui est prohibitus suscipere Confirmandum.

Igitur non levis est controversia, an contrahat cognationem spiritualement ille, qui non confirmatus exercet officium Patrini, & tenet confirmandum in administratione Sacramenti Confirmationis: itaut non possit ducere in Uxorem Matrem confirmati, qui est casus propositus, de cuius resolutione quaeritur.

Tractant ex professo hanc quaestionem Sanchez *de Matrim. d. lib. 7. disp. 60. num. 19. & 20.* Et Franc. de Lugo *lib. 3. de Confirmat. cap. 5. quest. 1.* ubi hinc inde, & pro utraque opinione adducunt rationes, & Doctores, & tandem tenent, Patrimum non confirmatum nullam contrahere cognationem spiritualement; & hanc dicunt opinionem probabiliorē, quam nos pariter amplectimur: *Primo* quia prohibitio in Patrino Confirmationis provenit ex eodem fonte, & ex eodem textu, à quo prohibitus est etiam homo non baptizatus, nempe *ex cap. In baptisate. De Consecr. dist. 4. & ideo* conveniens est affirmare, voluisse textum illum irritare actum in utroque; & sic quemadmodum non baptizatus non contrahit cognationem, ita neq; non Confirmatus illam contrahat. *Secundo* quia mens Ecclesiae, & intentio Concilii Tridentini est restringere impedimentum cognationis spiritualis, ob favorem libertatis contrahentium Matrimonia, ut colligitur *ex d. sess. 24. cap. 2. de reform.* Idcirco censetur conformis menti Ecclesiae, quod Patrinus non confirmatus nullam contrahat cognationem. *Tertio*, quia Pontificale Romanum, in Rubr. de Confirmandis, ait: *Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione Patrini:* Unde ly *Non potest* habet vim irritandi actum, quia ultra Doctores hanc opinionem tenentes, quos citat, & sequitur Sanchez *d. lib. 7. disput. 60. num. 20.* eandem opinionem amplectuntur novissime tum Canonistae, tum Theologiamplissimi nominis, videlicet Coninch, *de Sacram. 9. 72. artic. 10. n. 94.* Nagnus in 3. *part. 9. 72. art. 10.* Bissus in *Hierurg. litt. P. num. 84. §. 6. pag. 264. tom. 2.* Bonald. in *Theolog. Moral. tom. 2. tract. 24. lect. 2.* Basilius Pontius *de Impedim. Matrim. lib. 7. cap. 37. num. 5.* Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 2. resol. 22.* quae in antiquo est *part. 3. tract. 4. resol. 26.* Franc. de Lugo *d. lib. 3. de Confirm. cap. 5. quest. 1.* Tamburin. *de Baptismo lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 4.* Cozonius *lib. 2. contrav. 3. n. 45.* Trullench, *de Sacram. Confirm. lib. 2. cap. Unio. n. 18. Vers. Sexto.* Novarius in *Summa Bullar. part. 1. Comm. 41. n. 19.* Piafencius in *Praxi Episc. part. 1. cap. 2. art. 2. n. 6.* Barboza *d. alleg. 30. n. 34.* Jordanus *d. lib. 3. tit. 2. nu. 62.* Nicolius in *Lucubrat. civilib. lib. 1. tit. 10. de Nuptiis n. 37. Vers. idem dico.* Bonacina *de Matrim. 9. 3. punct. 5. §. 2. n. 19.* Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 9. n. 2.* Justus *de Dispensat. Matrimonial. lib. 2. cap. 5. n. 44.* Et Emin. Cardin. de Lauræa *de Im-*

pedim. Matrim. d. disp. 28. n. 102. & seqq. ubi reddit hanc rationem: *Sicut ideo in Baptismo suscipiens non baptizatus non contrahit, quia non potest dare vitam spiritualement, quam non habet; ita, cum non confirmatus non habeat robur huius Sacramenti, non potest alium roborare.* Idcirco cum tantæ prudentiae, scientiae, & experientiae in Romana Curia Auctorem habeamus (præter cæteros allegatos) docentem, à Patrino non confirmato, suscipiente in Confirmatione, nullam contrahi cognationem spiritualement; absque hæsitacione resolvendum, & dicendum venit; Titium, de quo in proposito casu, posse ducere in Uxorem Matrem Viduam pueri, quem tenuit in Chrismate.

DECISIO. LX.

ARGUMENTUM.

Examinatur, & deciditur famosa Controversia, si plures Patrini suscipiant eundem Confirmandum, an omnes contrahant spiritualement cognationem? Tandem demonstratur, an Sacramentum Confirmationis sit de necessitate salutis.

SUMMARIUM.

- 1 Patrini duo si suscipiant Confirmandum, an cognationem contrahant.
- 2 Jus antiquum circa Patrimos quid disponeret.
- 3 Patrini unus tantum, vel una sola Matrini in Confirmatione.
- 4 Concilii Tridentini sess. 24. de Ref. Matr. cap. 2. verus sensus.
- 5 Cap. fin. De Cognat. Spirit. in 6. an sit correctum?
- 6 Patrini plures in Confirmatione si unum suscipiant, omnes contrahunt cognationem spiritualement ex opinione DD. hic relatorum. Et nu. 9.
- 7 Confraternitas, & Compaternitas in Baptismo, & Confirmatione est ablata.
- 8 S. Congregationis sententia circa cognationem spiritualement, si plures Patrini eundem filium suscipiant in Baptismo, aut in Confirmatione.
- 9 Patrini designati suscipientes contrahunt cognationem.
- 10 Quid si non fuerint designati, & susceperint?
- 11 Patrimos plures admittere in Baptismo, aut Confirmatione est mortale.
- 12 Confirmationis Sacramentum an sit de necessitate?
- 13 Præceptum Divinum, & Ecclesiasticum de Confirmatione.

Longè tamen difficilior videtur sequens Casus, qui dabit finem his Decisionibus. Duo Patrini susceperunt simul puerum in confirmatione. Queritur, Utrum ambo, vel eorum unus, & quis cognationem contraxerit spiritualement? Hunc casum satis difficilem omnes consentiunt, ob discrepantiam Moralistarum, qui inter se digladiantur circa intelligentiam Sacri Tridentini Concilii sess. 24. de ref. Matrim. cap. 2. Quapropter resolutio prælatis casus pendet à decisione illarum duarum quaestionum, quas disputant DD. & præcipuè Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 57. à n. 9. & sequentibus;* Unius scilicet, *An disposita per Concilium Tridentinum d. cap.*

2 d. cap. 2. s. 24. de ref. circa numerum Patrinorum in Baptismo, procedant etiam in Sacramento Confirmationis? Et alterius, An Concilium Tridentinum correxerit jus Canonicum antiquum cap. fin. de cognat. spirit. in 6. in quo erat prohibitus usus plurium Patrinorum in utroque Sacramento Baptismi, & Confirmationis, sed erat decisum, quod si plures Patrini susciperent, omnes contraherent cognationem.

Quo ad primam Questionem: Tridentinum Concilium in cit. cap. 2. s. 24. de ref. Statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant, cujus occasione decreti quaerunt DD. an etiam in Sacramento Confirmationis unus Patrinus, & una Matrina simul possint eundem confirmandum suscipere? Et quamvis Sanchez d. lib. 7. disp. 57. sub. num. 9. amplectatur affirmativam opinionem, rejicitur communiter à Theologis, & Canonistis, siquidem in Sacramento Confirmationis debet suscipere confirmandum unus Patrinus solus, vel sola una Matrina, non autem ambo simul juxta dispositionem juris Canonici antiqui in cap. Non plures, de Consecr. dist. 4. & in c. fin. de Cogn. spirit. in 6. quod minimè immutatum fuit in hac parte, ut bene probat Castropal. part. 4. tract. 20. punct. 10. num. 2. Tamburinus de Sacram. Confirm. lib. 3. cap. 4. num. 4. Billus in Hierurgia Sacra tom. 2. Litter. P. n. 84. §. 1. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 30. num. 43. & in Collectan. DD. in d. cap. 2. s. 24. num. 3. Diana part. 10. tract. 16. resol. 90. Quae sedet in Coordinato tom. 1. tract. 2. resol. 24. ubi pro eadem opinione n. 2. citat Hurtadum, Baunium, Praepositum, Leandrum, Aversam, Rebellum, & Bassen, quibus ego addo Pacem Jordanum lib. 3. tit. 2. num. 74. adhaerentem huic sententiae negativae; quia fulcitur universali consuetudine, cujus vigore unus solus Patrinus admittitur in Sacramento Confirmationis, id est masculus, qui suscipiat, pueros, vel foemina quae teneat puellas.

Neque subsistit ratio considerata per Sanchezium d. disput. 57. num. 9. quod scilicet Concilium Tridentinum restringat in d. cap. 2. s. 24. cognationem spirituales ad eandem prorsus personas, occasione Sacramenti Confirmationis, ad quas illam 4 restrinxerat pro Sacramento Baptismi; & sic videatur permittere, ut etiam in Confirmatione possit admitti Unus, & Una simul, id est Patrinus, & Matrina; quia respondetur, id gratis opinari; nam si Concilium Tridentinum, voluisset corrigere jus antiquum, à quo unus solus Patrinus conceditur in Confirmatione, & augere etiam Matrinam, expressè loquutum fuisset. Imò de ejus contraria mente constat in illis verbis, in quibus de Personis loquens, per quas contrahitur cognatio spiritualis in Confirmatione, nominat Patrinum in numero singulari: ibi: Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum illiusque Patrem, & Matrem, ac Tenentem non ingreditur. Quare per illud Verbum Tenentem non obscure indicat, in Sacramento Confirmationis, unam tantum personam posse fungi munere Patrinatus. Diana Coord. d. ref. 24. num. 3.

Secunda quaestio est, Utrum Concilium Trid. d. s. 24. cap. 2. correxerit dispositionem cap. fin. de Cognat. spirit. in 6. sic loquentis: Quamvis non plures, quam unus Vir, vel una Mulier accedere debeant Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

ad suscipiendum de Baptismo infantem; si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impediens, & contracta dissolvens. De Confirmatione insuper, quantum ad hoc, idem judicium est habendum. Non pauci ex Theologis, & Canonistis arbitrati sunt, hunc textum fuisse correctum à Concilio Tridentino, in quo cum dictum fuerit, ut ad summum Unus, & Una baptizatum de Baptismo suscipiant. Deinde Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahant: Sequitur, abrogatum videri jus antiquum, adeo ut si plures accesserint, spiritualis cognatio inter eos non contrahatur, Sanchez, qui alleclas refert d. disp. 57. num. 12. Tanto magis quia Concilium Tridentinum in d. cap. 2. expressè protestatur, se velle restringere hanc cognationem ad tollenda scandala, quae oriebantur ob matrimonia nulla quae frequenter celebrantur cum tali impedimento.

Porrò alii plurimi Doctores ex utraque classe contrarium esse verius censuerunt, adeo ut numerus unius Patrini, & ad summum etiam unius Matrinx ordinatus à Tridentino, non sit de forma; & si alii designati ultra dictum numerum, eodem instanti tangant baptizatum, vel confirmatum, omnes contrahant cognationem, juxta d. rex. in cap. fin. de cogn. spirit. in 6. Ita Navar. in Manual. cap. 22. num. 39. Rebellus de obligat. just. part. 2. lib. 3. q. 6. num. 5. & 6. ubi Henriquez, Lopez, Sà, & Ledesma. Idem sensit Beja in resp. cas. conscient. part. 2. casu 1. sub. die 25. Jan. 1583. Vers. Quarid. Sayrus in florib. Decis. tit. De Cognat. spirit. decis. 4. Ugolin de Offic. & Pot. Episc. cap. 25. §. 1. num. 5. Barbosa d. allegat. 30. num. 45. Caramuel. in Theolog. fund. num. 313. Billus in Hierurgia d. litt. P. num. 84. §. 2. Diana Coordin. d. tom. 1. tract. 2. resol. 24. num. 3. Jordan. d. lib. 3. tit. 2. num. 79. Zerola in Praxi Episc. part. 1. Verb. Baptismus dub. 7. Pialecius, & ipse in sua Praxi Episc. part. 2. cap. 3. art. 3. num. 34. Et Novissimè Vincen. de Justis in tract. de Dispensat. Matrimon. lib. 2. cap. 5. num. 15.

Quibus omnibus ego adhaerendum censo tum ratione, tum auctoritate Sacrae Congregationis Eminentiss. Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum. Ratio est, quia verisimilius credendum; velle Ecclesiam eos omnes tenentes Confirmatum pro Patrinis potius admittere, quam ex tot tenentium numero, neminem concedere. Rebell. d. part. 2. lib. 3. q. 6. n. 6.

Neque obstat motivum Tridentini de restrictione hujus impedimenti; quia adhuc remanet restrictum, 7 ob ablatam confraternitatem, quae extendebat hanc Spirituales Cognationem ad fratres baptizati vel confirmati, ac etiam ad filios Patrinorum, & baptizantium, quamvis illegitimos; nec non ablata compaternitate, quae afficiebantur Conjuges eorundem Patrinorum, & baptizantium. cap. 1. de Cognat. spirit. in 6. cap. Martinus. cod. tit. Rebell. d. q. 6. num. 2. De auctoritate verò Sacrae Congregationis, (cui soli competit Concilium Tridentinum declarare juxta Bullam Pii Papae IV. post ipsum Concilium impressam, incip. Benedictus Deus.) reddent testimonium Pyrrhus Corradus, Jacobus Pignatellus, nec non prosper Fagnanus, omnes Jurisconsulti eximii, & in Theoria Canonum, ac in Praxi Curiae Romanae versatissimi; quorum verba haec sunt: Videlicet: Pyrrhus Corrad. in Praxi dispensat. Apostolic. libr. 8. cap. 8. sub. num. 8. sic loquitur: In S. Cong. Conc. fuit propositum sequens dubium

N

Petrus,

Petrus, & Anna conjuges elegerunt in Susceptores in Baptismo Filii Andream, & Lauram, sed adveniente tempore Baptismi, audiens Andreas, à Petro fuisse electam Lauram in commatrem, rogavit Petrum, ut illa posthabita, eligeret Rosam. Replicavit Petrus, se id facere non posse citra injuriam: cui responsioni Andreas non acquiescente, idem Petrus omnia retulit Parocho; & facta expressa declaratione animi sui, quod nullo pacto intendebat Rosam in commatrem habere, Parochus consilium dedit, ut ambe admitterentur, sed pollicebatur expresse, se nullatenus admissurum Rosam ad tangendum infantem: cui consilio Petrus acquiescens designavit etiam Rosam in commatrem: ista autem præter intentionem Petri, & promissionem eidem Petro factam à Parocho, infantem in actu baptismi simul cum Laura tetigit. Queritur, an fuerat contracta compaternitas etiam inter dictam Rosam, & Petrum, an potius inter Petrum, & Lauram? Sacra Congreg. Concilii die 10. Martii 1631. in causa Aquin. censuit, contraxisse etiam cum Rosa, quia fuit designata.

Alterum Decretum S. Congregationis ponit Pignatellus tom. 7. consult. 93. num. 7. his Verbis: Si plures teneant ad Baptismum S. Congregatio censuit, omnes contrahere: licet enim Concilium prohibeat plures, quam duos; tamen non annullat actum.

Tertium Decretum allegatum à Fagnano in cap. Ex Litteris, num. 5. De Cognat. Spirit. est hujusmodi: Cum negligentia Parochi factum esset, ut tres designarentur, & in libro scriberentur de Sacro Baptismi fonte feminam suscepturam, nempe Titius, Titia, & Sempronius, qui omnes levarunt baptizatum, & tetigerunt. Fuit dubitatum An omnes cognitionem spirituales contraxissent cum baptizata, an vero ii tantum duo, qui priores sunt designati? S. Congregatio censuit, omnes contrahere, si non appareat, qui primi sint designati per cap. fin. de cognat. Spirit. Et licet unus tantum & Una suscipere debeant: tamen si omnes susceperint, omnes contrahere. Ita Gloss. ibi. Quamvis enim Concilium prohibeat plures, tamen non annullat actum.

Quibus stantibus, pro resolutione propositi casus, dicendum est, quod si uterque Patrinus fuerat designatus à Parenibus ad suscipiendum simul puerum in Confirmatione; ambo contraxerunt spirituales cognitionem juxta tex. in cap. fin. de Cognat. Spirit. in 6. Quod si eorum alter non fuerat designatus; sed Episcopo non advertente, se intruserat in illa susceptione, hic nullam contraxit cognitionem; sed alius, qui erat designatus, juxta claram dispositionem Concilii Tridentini d. sess. 24. cap. 2. ibi Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognitionem spirituales nullo pacto contrahant, quod docet Sanchez d. lib. 7. disput. 57. num. 12. Verum quia designatio fieri potest non solum à parentibus baptizandi, vel confirmandi, sed etiam à Parocho baptizante, vel ab Episcopo confirmando; præcipue si à parentibus nullus fuit designatus Patrinus. Sanchez d. disput. 57. num. 19. Pax Jordanus d. lib. 3. tit. 2. num. 78. Reginaldus in praxi. 31. n. 153. Vers. Quartum documentum. Castropalaus tom. 4. tract. 19. disputat. Unica punct. 11. §. 2. num. 9. Et Diana part. 9. tract. 7. resolut. 50. Quæ est in Coordinato tom. 1. tr. 1. resolut. 93. §. 3. si Episcopus permittendo scilicet admittit, & admittendo sponte permittit, ut ipsi duo Patrini, non designati à parentibus, simul puerum in Confirmatione tenerent, ambo contraxerunt cognitionem spirituales. Tamburin. de Triplici jure lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 15. Quod si uter-

que Patrinus absque ulla designatione Parentum, & sine advertentia aut Parochi, aut Episcopi; imò iisdem omnibus ignorantibus & inadvertentibus tenuit puerum, adhuc dicendum venit, eosdem contraxisse cognitionem spirituales juxta tex. in d. cap. fin. de cognat. spirit. in 6. & juxta magis communem opinionem Theologorum, & Canonistarum, præcipue Coninchi, Rebellii, Pontii, Laymani, atque aliorum, quos citat Castropalaus d. §. 2. & Diana Coordinatus d. resolut. 93. §. 3. Ugolini de Off. & Potest. Episc. cap. 25. §. 1. num. 5. qui notat, quod etsi actus contra legem factus regulariter non valeat. L. non dubium. C. de Legib. excipitur tamen, ubi lex actum non tollit, & penam extrinsecam addit, quæ potest cum actus valore consistere; & valor actus non respicit valorem ejus, cui pena imponitur, ut dixit Bartolus communiter receptus in l. Prætor ait n. 3. ff. De Novi oper. nunciat, quod verificatur in casu nostro; in quo Concilium Tridentinum præscripsit numerum Patrinorum, & adjecit penam, si major numerus admittatur, sed non irritavit admissionem. Navarrus de Cognat. spirit. conf. 5. Pyrrhus Corrad. in Praxi. dispens. Apostol. d. lib. 8. cap. 8. sub. num. 8. Vers. Pro eo autem. Et propter Fagnanus in cit. cap. Ex litteris num. 5. de Cognat. spirit.

Ex his colligenda veniunt sequentia Corollaria pro complemento tractatus de Sacramento Confirmationis.

Primum Corollarium. Quod admittere in Confirmatione plures Patrinos est peccatum mortale; sicuti mortale est in Baptismo admittere præter unum, & unam. Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 5. §. 2. num. 32. Barbosa de Off. & Potest. Episc. alleg. 30. num. 44. Et in collectan. DD. ad d. cap. 2. sess. 24. Concil. Trid. n. 5. & 6. ubi pluribus DD. citatis ostendit, Episcopum non posse dispensare, ut major numerus Patrinorum adhibeatur; & Parochium plures admittentem esse puniendum.

Secundum Corollarium. Sacramentum Confirmationis non est simpliciter necessarium ad salutem, & necessitate mediæ sed necessitate præcepti tum Ecclesiastici, tum Divini interpretative de non contemnendo. Contemptus autem est duplex, Positivus proprius hæreticorum, qui negant hoc Sacramentum, & ejus valorem; atque Negativus consistens in negligentia recipiendi illud, data opportunitate recipiendi. De Præcepto Divino non contemnendi hoc Sacramentum constat ex eo, quod institutum est à Christo tanquam medium utile ad salutem hominum. Ergo ejus voluntas est, ut non contemnatur. De Præcepto Ecclesiæ apparet in cap. Omnes cap. Spiritus. & cap. De his De Consecr. dist. 5. Hoc autem Præceptum Ecclesiæ de suscipienda Confirmatione non obligat pro ætate puerili, sed in adulta ætate, id est, cum homines attingunt annos discretionis: neque statim, sed data opportunitate Episcopi confirmantis, & remotis impediementis gravibus suscipere debent, cap. Ut jejuni. De Consecr. dist. 5. Quapropter non recipere hoc Sacramentum ex contemptu etiam negativo, seu ex notabili negligentia est peccatum mortale. Diana, qui plures modernos allegat d. part. 10. tract. 16. resolut. 90. §. 4. Quæ jacet in Coordinato tom. 1. tract. 2. resolut. 24. Mastrius in 4. Sent. disp. 1. num. 369. Et de more subtiliter, piè, & doctè Eminentiss. Cardin. de Lauræ de Sacram. Confirm. disp. 3. art. 1. 2. & 3. ubi Theologicam hanc doctrinam fortissimis, et si suavis argumentis corroborat.